



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 73. Gravis contentio circa Articulum de Annatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



Sæcul. XV.  
 A. C. 1417.

§. LXXIII.

*Gravis contentio circa Articulum de  
 Annatis.*

Inter Articulos reformationis Cardinales inter, & Nationes agitados, ille, qui Annatas tangit, maxima animorum contentione ac fervore ultro citroque discutiebatur. Annatæ solent vocari illud jus, vi cujus Pontifices fructus primi anni beneficiorum vacantium, v. g. Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatiarum, Prioratum, aliorumque in universo Christiano orbe percipit. Hoc jus a tempore Clementis V. stabilitum legimus, qui Angliæ pro tribus annis imposuit Annatas, Senatu tamen reclamante. Ex post non amplius tanquam debitum, sed velut subsidium exigebantur; Bonifacius IX primus eas pro jure dignitati summorum Pontificum annexo habuit. Carolus VI. Galliæ Rex hoc jus suppressere meditabatur, cumque Synodus Constantiensis congregata esset, suis Legatis injunxit, ut approbationem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ præcipue quoad articulum de Annatis postularent; Sed huic petito Cardinales fortiter obluçtati sunt, hujus juris usum conservandum esse rati, eo quod Pontificibus, & Cardinalibus pro suo statu necessaria subministranda, abusum vero, si quis forte irrepsisset, aut immodicæ



dicæ forent taxationes, reformandum Sæcul. XV.  
 censerent. Sed inde non modicæ exor- A C. 1417.  
 tæ sunt contentiones.

Proposita hæc Cardinalium sententia  
 eo rediit, „ ut ab Ecclesiis & Monaste-  
 „ riis vacantibus taxæ in libris Camerae  
 „ Apostolicæ expressæ solvantur, quibus  
 „ Pontifex, & Cardinales pro dignitate vi-  
 „ verent, & reformentur taxæ immode-  
 „ ratae, & præstentur duntaxat una vi-  
 „ ce pro Ecclesia, vel monasterio, in eo-  
 „ dem anno bis vacantibus. „ Postquam  
 hæc declaratio Nationibus porrecta fuit,  
 illæ septem omnino diebus desuper deli-  
 berarunt, tandem vero concluderunt, An-  
 natas pro præterito, præsentis & futuro  
 tempore penitus abolendas esse. Quibus  
 Cardinales sese opposuerunt, atque juris  
 hujus tuendi provinciam commiserunt  
 Joanni de Scribanis Promotori, qui a  
 Nationum decreto ad futurum provoca-  
 vit Pontificem. Natio Gallica, utpote  
 quæ hanc litem potissimum suam fece-  
 rat, appellationem Cardinalium scri-  
 pto admodum elaborato, ac solido im-  
 pugnavit, cui titulus: *Gallicæ Natio-*  
*nis declaratio contra Cardinales Appellantes*  
*de Annatis non solvendis.* Typis impres-  
 sum habetur in operibus Nicolai Cleman-  
 tium, cui tamen falso adscribitur.

*In Fascicu-  
 lo Esc.  
 Per Orthui-  
 num Gra-  
 tium,  
 Dupin. hist.  
 XV. sæcul.*